# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

# Suppressione Mensium.

*QUAM,*

Auspice Divino Numine,

*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th. Doctoris, Ejusdemque Facultatis in Illustri Academiâ Lugd.-Bat. ut & Antiquitatis Ecclesiasticæ, Profess. Ordinarii, dignissimi, Ecclesiastæ disertissimi, & Acad. Bibliothecarii.

NEC-NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, ut & Almæ Facultatis Medicæ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS, Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

*Publico examini subjicit*

THEODORUS HEISTERMAN, Amstel. Batav.

*Ad diem 12. Iulii, loco horisque solitis.*




LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Hæredes JOANNIS ELZEVIRII,
Academiæ Typogr. 1680.

# PATRIÆ

AC

# AMICIS.





# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

# *De Suppressione Mensium.*

Suppressio mensium, est *abolita sanguinis excretio, qui aliàs ordinario naturæ lege singulis mensibus fœminis ad id aptis ab utero fluere solet.*

II.

Ex allata *definitione* vel *descriptione*, (pro ut nominare volueris, Logicis enim terminis non inhæremus, ubi rem explicuerimus) & speciatim ex parte affecta patet, hunc fœminis esse morbum proprium cum viri utero destituantur. Distinguitur ab aliis fœminarum morbis, ex adjectis reliquis circumstantiis, & præsertim, quod hic certas servet periodos alii non. tertiò aptitudo requiritur, hoc est, ut sint puberes, neque minorennes neque vetulæ, non gravidæ, non lactantes, non gravioribus diuturnioribusque morbis detentæ, &c. non enim naturæ lege illis fluere solent; cum materia hæc aliorsum aliosque in usus absumatur. Sic nec illæ suppressione possunt dici laborare, quibus sine incommodo nunquam fluxere, ut viraginibus similibusque.

III.

His ita præmissis ut porro thesibus ordo sit, hæc quatuor mihi observanda puto. 1 *Causæ* hujus suppressionis indagandæ. 2 *indicia symptomataque* quibus se prodat indicanda. 3 *prognosis* pronuntianda. 4 denique *Curatio* aggredienda. Quibus rite petactis me scopum attigisse lætabor.

IV.

Sed antequam ulterius pergam, pauca de natura sanguinis menstrui prælibanda existimo; ut *prædictorum* ratio reddatur clarior, nec de re non intellecta, aut de lana caprina disputare videar.

V.

Hoc ut facilius peragam, hæc tria oculis mentis subjicere fert animus. 1 *Quantitatem*, 2 *qualitatem*, 3 *periodorum Causam.*

VI.

Multas sortitus hic Fluxus denominationes, ab aliquibus enim *fluxus sanguinis menstrui*, ab aliis simpliciter *menses*, *menstruæ purgationes*, *purgationes lunares*, *tempora*, *consuetudines*, *flores &c.* dicuntur; quæ omnia

vocabula cum Græcis coïncidunt, illa ergo subnectere supervacaneum putavi, uti & illis diu inhærere, cum simpliciter tantum res indicent, minime verum Causas explicent.

VII.

*Quantitatem* hujus sanguinis menstrui vix determinari posse liquet: variante ea pro diverso corporis habitu, temperamento ætatis, regionis, victus ratione vitæque instituto. Magnus tamen Medicinæ dictator hanc ad ℥xviij extendit, aliæ tamen sæpe, ne ultra cochlearia vj. vij. ve deponunt; mediam quantitatem qui statuerit tutissimus iverit.

VIII.

Sic nec certum *durationis tempus* pronuntiari posse ex dictis constat. quibusdam enim fluxus hic per biduum, triduum continuatur aliis; in octavum usque extenditur.

IX.

Sanguis porrò hic menstruus naturaliter (de præternaturali enim constitutione hic sermo non est; cum variæ circumstantiæ, v. gr. omnes humores vitiosi sanguini permixti, ejus naturam valeant immutare) constitutus à magno illo Coo, aliisque plurimis, colore & consistentia sanguini victimæ jugulatæ assimilatur. Qui floridus, purpureus, mediocrisque consistentiæ est, laudabilis censetur.

X.

Miror ergo *Plinium* aliosque antiquos sanguinem hunc adeo venenatum exclamasse: ut ejus contactu terra sterilescat, marcescant herbæ, inficiantur specula (ex solo aspectu menstrua patientis) canes in rabiem agantur, homines diris cruciatibus affligantur. Verum quam misere ratiocinati fuerint de hoc sanguine patet: cum suo indicio ut sorices pereant, suoque se jugulent gladio, statuentes eundem nutrimentum fœtus. Qui sane pro nutrimento nimium malignus foret. Sanguine autem materno fœtum ali pluribus probat *Clar. D. Sylv. in meth. lib. ij cap. iij.* quique etiam hunc humorem bonum asserit.

XI.

Naturali sanguine, hunc tamen, à præsenti fermentatione & sale volatili abundantiori, acriorem esse statuo. Attenuatis enim fermentatione hac (à quacunque Causa introducta) particulis terrestribus, viscosis, pituitosisque, sal caput suum exerit, quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

XII. Tem-

XII.

Tempus autem, quo hic fluxus initium & incrementum ſumat, & quo decreſcat, ac finem ſortiatur, circumſcribitur vulgo ab Authoribus ab anno xij ad an. 50: cætera enim exempla rariora & præternaturalia; ut illud *Fabrit. Hild. Cent.* 2. *obſ.* 60. qui puellam menſtrualem vidit II. ætatis anno *Ibid. obſ.* 61. teſtatur menſtrua duraſſe ad an. 78. *Cent.* IV. *obſ.* 63. *ad an.* 70. *Tulp. in obſ.* ſuis puellam 4. an. menſtrualem habet. *Kerckringius* à I. nativitatis die.

XIII.

Huc uſque almæ Medicinæ cultores, tam neoterici quam antiqui, bene inter ſe conveniunt, ſatiſque dilucide rem hanc nobis exponunt. Verum ubi altius in hujus fluxus ejuſque circuitus cauſas philoſophando penetrandum hæret illis aqua, miſereque inter ſe digladiantur: & Oceani reciprocus fluxus non magis eruditorum torſit ingenia quam hic menſtrualis. Meum ergo non duco inani arrogantia inter doctiſſimos, tantas componere lites. Amœnior tamen cum ſit campus, quam ut prætereuntes non detineat; lubet morari paululum, & plerorumque opiniones perluſtrare, opinionemque, cui adſtipulor, ſubnectere.

XIV.

*Galenus* ejuſque ſectatores plurimi (ut aliorum Nugas prætoream, qui ad Dei providentiam, occultam qualitatem &c. confugere ſolent) ſolam plethoram in auxilium vocant, nimia deſidia collectam, uti ejuſmodi ejus ſunt verba lib. de venæ ſect. adverſus Eraſiſtratum. Nonne natura ipſa mulieres cunctas evacuat ſingulis menſibus, ſanguine ſuperfluo foras effuſo? Muliebre enim Genus ut quod domi ageret neque vehementibus laboribus exerceretur, aut ſub claro ſole viveret, ac ob utraque hæc, multitudinem humorum coacervaret, ipſam evacuationem *plenitudinis* tanquam remedium obtinere natura opus habebat.

XV.

Hujus fluxus periodi, idem Galenus lib. 3. de diebus decretoriis c. 2. Cauſam eſſe ipſam lunam aſſerit, cum ait, luna igitur fluctus auget, incraſſatque; animantia implet, ad hæc menſtruorum ſtatum tempus mulieribus conſervat.

 XVI. Alii

XVI.

Alii fermentum colligi volunt circa uteri substantia ejusque vasa, quod singulis ferme mensibus in actum deducatur sanguinemque effervescere faciat. Verum quoniam fermentum hoc necdum anatomica cura sit detectum, & licet detegeretur non viribus ipsius lunæ refragaretur, sed potius causa coadjuvans foret, merito de illo dubitamus.

XVII.

Cum *Galeno* autem plurimi *Neoterici* solam lunam in auxilium vocant, non quod simpliciter aquis ac humoribus prædominari dicatur, quod idem foret ac si occultam qualitatem nominarent: sed quatenus radiis à sole acceptis & in terram reflexis, certam materiam ætheriam in sanguinem introducit, quæ apta nata est effervescentiam excitare, vasa distendere, illaque aperiendo hunc fluxum excitare; & prout hoc vel illo modo sanguinem constitutum repperit, sic modo, has modo illas fluxum menstruum pati videmus, non enim semper secundum versiculum jam vetustate tritum:

*Luna vetus vetulas, juvenes nova luna repurgat.*

XVIII.

Probabilius mihi id quod ante positum videtur; cum ex chemicis notum sit ex certarum rerum commixtione certam etiam oriri effervescentiam (sic ex confusione ol. vitriol. & tartar. per deliquium ingens effervescentia excitabitur) & prout major pororum est diversitas eo majorem effervescentiam oriri constat ex verioris philosophiæ fundamentis.

XIX.

Quantum autem ætheris seu materiæ primi elementi diversitas faciat ad fermentationes certas excitandas innumera ostendunt phænomena. ex levissimo in diæta errore facile febris, id est, effervescentia in sanguine cum ejusdem turbata mixtione excitabitur; alimentis sc. alienigeno fermento impraegnatis Animam sæpe, ex arcta cum corpore unione, hanc mutationem suscipere ex variis constat exemplis: prout enim tellus motu annuo huic vel illi syderi appropinquat quidam insaniunt, delirant. sic in inevitabiles, (certo anni tempore) morbos quidam incidunt. Admiranda lunæ influxus phænomena qui desiderat, adeat *Kerckringium in obs. anatom. obs. xcij.* lunæ efficacia in conchis ostreisque lippis & tonsoribus nota, turgent enim tempore plenilunii, à fermentatione introducta.

XX. His

XX.

His ita præmissis ratio dictat ut eo revertar unde digressus eram: *Causæ* igitur hanc suppressionem inducentes variæ sunt: quædam enim *internæ* & *proximæ* ipsum uterum ejusque vasa spectant: aliæ ipsum sanguinem: aliæ sunt *externæ* & promoventes internas.

XXI.

Uterus hujus suppressionis Causa existere valet, quatenus intemperie frigida siccaque laborat, hoc est, scatet particulis crassioribus, terrestribus, viscosis, acidis, austeris, quæ aptæ natæ sunt uteri corpus ejusque tubulos obstruere atque constringere, adeoque sanguinis aliàs per eos effluxuri motum impedire.

XXII.

His merito annumerantur uteri inflammatio, induratio, cancer, scirrhus, exulceratio; quatenus distorquendo obliterandoque, uterinos tubulos obstruere valent. Sic mala conformatio à nativitate, vel dispositio depravata ab incumbente aliquo viscere, intestino scilicet recto inflammato, ex ulcerato &c. vesicâ distentâ vel à calculo grandiore comprimente aut uteri corpus aut vasa ei incumbentia, uteri nulla perforatio, ut & ejus prolapsus vulgo, sed male, dictus, cum impossibilis sit uteri inversio; nisi post puerperium grave.

XXIII.

Vasa (quæ à præparantibus & hypogastricis à vena cava & arteria magna oriuntur: & anfractuose & serpentino ductu per universum uteri corpus, sed præcipue fundum dispergunter) hic symbolum suum conferunt; quatenus eorum orificia, nimis exilia sunt, obstructa, coalita vel compressa: ut licet in iis sanguis fermentetur, suoque pondere premat; ejus tamen efficacia non tanta sit, ut claustra valeat diffringere, liberumque sibi exitum parare.

XXIV.

Sanguis hic culpandus, quod constet terrestribus, viscosis, acidis, austeris particulis, facile ad quietem inclinantibus; cum enim torpidiori motu fertur sanguis hic crassior facile particulæ istæ crassiores sibi mutuo agglutinantur, nullum enim majus in rerum natura gluten quam quies. Quod vero hic sanguis magis in partibus his inferioribus quam superioribus obstructiones pariat; ratio in propatulo est: cum ejus pars subtilior simul ac è sinistro cordis ventriculo in aortæ bivium expellitur, sursum petat, amurca hac deorsum retrusa, adjuvante distantia à corde longiore.

XXV.

## XXV.

*Plethoram* alii accusant, sed qua ratione non video nisi *Cacochymia* sit conjuncta: exemplum quod Riv. habet de vesica distenta, huc non quadrat, ibi enim voluntaria est retentio, hic in circulatione non.

## XXVI.

*Penuria* ipsius *sanguinis* culpari hic posset, ut licet fermentationes sanguini inducantur, non tamen satisvalent vasorum orificia aperire: quæ forsan ratio, quod quædam periodice per alias vias menstrua patiantur; vasis illis uterinis nimis clausis existentibus; dum alia tenuiora, ut narium, pulmonum &c. aperiuntur: quæ mea quidem opinione non possunt dici menstruis suppressis laborare, cum hæc effusio sanguinis alterius vicem suppleat. Idem judicium esto de sanguine crasso, viscoso, in eo enim nimis exiguæ fermentationes excitantur: crassitie quippe & viscositate eluditur vis fermenti, uti in acutis morbis humorum acrimoniam narcoticis evincere solemus.

## XXVII.

Cum sanguine autem labem hanc suam communicant omnia edulia, terrea, crassa, viscosa &c. quibus mulierculæ se ingurgitare solent: E. G. Oryxâ, Cretâ, carbonibus & similibus sæpe utuntur, coaptandæ formæ gratia. Unde chylus & consequenter sanguis crudior uti notum est vel paululum in re medica versato. Adjuvat earum vita sedentaria, somnus longior, exercitia minora, hinc circulatio segnior, quæ cohæsionem particulis crassioribus præbet. ad eundem scopum collimant, *animi pathemata*, frigidiora vulgo dicta, quod sanguinem figant; ut: mœror, tristitia, melancholia. *Excretiones*, tum aliæ, tum sanguinis, per alias vias effusi, auctiores: Omnes subitæ mutationes frigidæ externæ, ut aër tempore hyberno frigidior, crassior, humidior; & inde partium harum nimia refrigeratio. vel ab aquis producitur frigidioribus, à consessu super pavimenta lapidea; à sinistro denique alimentorum, tam internorum quam externorum, usu.

## XXVIII.

Atque hæc de *Causis*. *Signa* suppressionis mensium præcipua hæc sunt: dolores lumborum, imique ventris gravativi: propter sanguinem ibidem retentum, vasa nervosque (tum à propaginibus sexti paris, tum ab osse sacro oriundos) pondere suo prementem. Intenditur autem hic dolor ordinariò, tempore quo menses fluere solebant. Adsunt Brachiorum stupor, ad motum tarditas, & ubi exercitia paulo vehemen-

mentiora, lassitudo ingens. Præcordiorum anxietas, difficilis respiratio, palpitatio cordis, totius corporis cachexia; pallidi virginum colores, cum melancholia.

XXIX.

Quæ omnia; ut una fidelia hos omnes parietes dealbem; sanguini crasso effœtoque originem suam debent: quatenus hic aptus variis in corporis partibus vasisque capillaribus obstructiones parere, unde capitis dolor *gravis*, Cachexia, difficilis respiratio, præcordiorum anxietas. obstructis speciatim musculis abdominis, diaphragmatis, thoracis. Præterea ex sanguine hoc fæculento pauci generantur spiritus ut sui inopia vix musculis inflandis sufficiant; unde membrorum brachiorumque stupor; tarditasque ad motum. His spiritibus vero ab exercitiis gravioribus dissipatis, ingens oritur lassitudo, animi hebetudo, & melancholia. Palpitatio cordis sanguinis viscositati adscribenda, quatenus tam subito in cordis thalamis nequeat effervescere, hinc enim systole & diastole cordis depravatur, animi deliquia, &c. subsequuntur vomitus, pica, Nausea sæpe concomitantur præsertim ubi diuturnior hic affectus. Saliva enim viscosa à sanguine simili separata ventriculi fermentum obtundit, enervat; præterquam quod exarteriis gastricis immediate hæc labes cum ventriculo communicari potest.

XXX.

Atque hæc de *Signis*. *Eventus* hujus morbi pro diversitate Causarum, eum inducentium, varius est. Quæ enim suppressio mensium gignitur à morbis supra recensitis uteri gravioribus, ut scirrho, cancro, mala conformatione &c. uti à difficili horum morborum causa dependet, sic plerumque insanabilis atque lethalis habetur ægrisque ut fidus Achates ad extremum vitæ halitum it Comes. Nec meliorem spem promittit suppressio *diuturnior*, quæ tam altas egit radices; ut diuturniori cura evelli non potuerit, estque plerumque plurimorum morborum alma genetrix, uti de ea sic judicium in medium profert *Hipp. lib de morbis mulierum*, ubi suppressionem per 6 menses durantem incurabilem statuit: non tamen id universaliter verum esse ipse probat 4. *Epid. Galen. comment.* 3. *in lib.* 6. *Epid.*

XXXI.

Meliorem sui debellationem promittit quæ oritur à plethora; ni cacochymia notabilior fuerit conjuncta; alias morbum chronicum prænuntiat. Sic spes melior affulget, ubi à sola Causa externa, aëre,

aqua

aquâ &c. ſubitaque refrigeratione labes hæc fuerit contracta, nec mora diuturnior tam firmiter occluſerit oſtia.

XXXII.

Ne illotis manibus *curationem* aggrediamur, ea in memoriam revocanda quæ ſupra *th. ij.* attulimus; nempe: illis curam non adhibendam, quibus ſine incommodo nunquam fluxere menſes. Hi enim naturaliter deficientes cum damno ſollicitantur, ut *Plat. in Prax. Clar. D. Sylv.* tum demum pro vitio habenda ſuppreſſio; quando cum uniuſcujuſque fœminæ incommodo id evenit; & vera menſtruorum ſuppreſſio dicitur: quando fluxus, qui jam prodiit, prodire ceſſat. Verum Medico circumſpecte hic agendum ne fallatur à mulierculis ex illegitimo congreſſu imprægnatis, abortum ne illis promoveat. Ne porro hæc noſtra curatio in nimiam molem excreſcat, illam ſolum adaptabimus ſuppreſſioni, quæ à ſanguine craſſiore vaſa obſtruente ortum ducit; relegatis uterinis morbis gravioribus ad ſua capita, quibus profligatis ſponte evaneſcet hoc ſymptoma levius.

XXXIII.

*Curationem* igitur ut aggrediamur ſecundum *Hartmannum*: Pravis & impuris humoribus, quibus plerumque ſcatet, corpus erit liberandum. Quem ſcopum ut facilius attingamus, *Venæ ſectio* hic primum locum obtinere videtur, (ut *Clar. D. Sylv. Galen.* aliorumque veſtigiis inſiſtam) ſi nempe vires permittant; plethora quippe cacochymiaque ſui neceſſariam evacuationem poſtulant. ſic enim amurca reſidua facilius à fæcibus ſuis liberabitur; naturaliſque ſanguini craſis reddetur. Novi nigro Carbone notari ab aliquibus, quod venæ ſectio purgationibus præmittatur, ſed quo ratiocinio ducti ſint ipſi viderint.

XXXIV.

Contentio olim maxima inter celeberrimos medicos fuit, quænam eſſet ſecanda vena? Verum ſatis verborum, ſapientiæ parum in litigiis illis fuiſſe patet, cum omnia hac de re antiquorum prolata, corruere fecit unica circulatio ſanguinis. Venas tamen inferiores hoc in morbo ſecandas puto: non propter imaginariam attractionem, ſimileſque decantatas cantilenas: ſed propter ſanguinem peccantem craſſiorem ut ſup. *th. xxiv.*

XXXV.

*Venæ ſectio* potiſſimum celebretur circiter octiduum ante ordinariam men-

mensium eruptionem; ut auxiliares naturæ præbeamus manus, aliàs sæpe cum damno aut incassum instituitur.

## XXXVI.

Venæ sectione peracta tempus *præparationis* commodissimum existit. Crudi enim hi humores, ante sui *evacuationem* sui *præparationem* postulant, ut recte *Hipp. sect.* 1. *Aph.* 22. in usum ergo vocanda veniunt incidentia, attenuantia & consequenter aperientia, ut hoc modo viis reseratis tuta sint menses promoventia. Ad hunc scopum collimant omnia aromatica, sale volatili, prædita (uti illa sola menses movere, omnibusque præferenda esse docet *Cl. D. Sylv.*) qualia sunt *Rad.* Gent., galang., imperat, Zedoar., Helen., Ras. lign. guajac., Saff., Salsaparill. &c. *fol.* absynth., Centur. Maj., Card. bened., salv., rorism., *flor.* stæchad., rorism., lavend., *sem.* anis., fœnicul., Dauc., narst., *Bacc.* laur., juniper. Quadrant & huc omnia anti-scorbutica, acidum fixum infringentia, ut *rad.* cichor. tarax., levist., *fol.* cychor., cochlear., fumar., Beccabung., narsturt., huc tamen præcipue spectant illa authoribus *specifica uterina* dicta; ut *rad.* rub. tinct., Bryon. Capp., Gram., *Fol.* Meliss., Sab., Matricar., Puleg., Artem., Rutæ, Dictam. Cretic., *flor.* genist., samb., *sem.* Cicer. rubr., & similia: ex quibus omnibus *Apozemata*, *vina medicata* (passim apud practicos obvia) pro diversitate subjectorum præparari possunt.

## XXXVII.

Apozemate vinove medicato per aliquot dies usurpato, blande *purgetur* ægra extracto fol. senn., agar. ref. jalapp., crem. tartar., tartar. vitriol., Colocynth., & Helleb. Nigr. Quorum duo posteriora, propter eorum vehementiam, non nisi exigua quantitate, & agrestioribus exhibeantur ut recte Hartman. laudantur Pil. de hiëra, cochiæ &c. convenit sequens formula.

R. ref. agar. vel gum. amm. in aceto diss. gr. xv.
Mercur. dulcis, extr. Hell. nig. ã. gr. IV.
troch. alhand. gr. ij.

M. F. Pil.

## XXXVIII.

Sic intermediis vicibus induciæ fiunt ab Apozematis usu, si ægræ abhorreant, cujus loco succedant spir. sal. arm. (cujus ope plures se restituisse gloriatur *Clar. D. Sylv.*) C. C., fulig., elix. prop. Parac., tinct.

tinct. Cast., croc., secund. human., aloë, sal succ., genist., &c.
sic *Hartmann. prax. chem.* habet pulv. catheet., essentiam croc. Martis,
*Forest. in obs.* suis *pulverem suum dominarum* extollit.

## XXXIX.

Adjuvant præterea, si ab externo frigidiore aëre, aqua & similibus refrigerationibus ortum contraxrit hoc malum, Insessus, Balneationes, Suffitus &c. ex præcedentibus uterinis: quibus emollientia non inutiliter adduntur; ne secundum *Clar. D. Sylv. lib. ij. Cap. xvij.* humores glutinosi nimium inspissentur. sic idem *Clariss. Sylv.* pessum formavit cum successu è solo raphano, in pessi formam rescisso.

## XXXX.

*Diæta* porro sit, ut in omnibus morbis hypochondriacis, pituitosisque: ex cibis incidentibus, attenuantibus, bonæque digestionis: qui & medicamentis antiscorbuticis alterari possunt. Vitentur omnia esculenta viscosa, frigidiorisque naturæ, ut & aquæ gelidæ potus. exercitia sint mediocria, præcipue Veneris, quæ quantum hic valeat præter quotidiana, plutima authorum probant exempla, ut *Riv. Plater.* & & aliorum; levissimo enim attritu vasa uterina aperiuntur. Affluxus Spir. in illas partes fit copiosior. Fermentationes à semine fervidiore injecto promoventur, cujus rei exemplum rarissimum vide apud ingeniossimum *D. Regn. de Graef lib. de virorum organis.* animi denique pathemata tristiora vitentur; lætitia, quantum fieri potest, excitetur.

*Hæcque pro ratione nostri instituti dixisse sufficiat.*

FINIS.